Belli Pacisq; Sincera

CONSIDERATIO

DUABUS ORATIONIBUS DEFINITA

Quarum Prior

PRO GLORIA MILITARI differit,

Posterior verò

PACIS AB EXILIO REVOCANDÆ votum continet.

Recensente

Gulielmo Strasburgo.



NORIBERGÆ,
Typis HALBMAYERIANIS.

ANNO M. DC. XXIX.

INCLITÆ REIPUBLICÆ NORIMBERGENSIS

Senatui Gravissimo

Viris Magnificis, Amplissimis, Nobilissimis & Prudentissimis, Dominis & Mæcenatibus suis æternum honorandis.

REceptæ dabitis cō-suetudini, quod præsentem Belli Pacisq; Considerationem, sub Magnifico Nominis VESTRI Patrocinio exire patior. Pro Gloria militiæ & Sobrii Martis majestate, Ordinum ductor peroravi: Pacis verò ab exilio revocandæ votū, turbatus patriæ status, & innumerabilibus calamitatibus ægra ac penè exanimata Germania, extorsit ferè reluctanti. Atq; utinam exorata cœlo numina tandem concedant, ut tot bellorum civilium noctes, expetita constantis Pacis

Serenitate discutiantur, & tristissima Germaniæ fata ad felicem priorum temporum tranquillitatem quàm primùm redeant. Ingens erit felicitas DOMINI & VOBIS à magnâ vi Numinis omnium nostrorum votis & suspitiis exoranda, ut quemadmodum Germaniam non solùm, opibus & Gloria florentem sed & mutata fortuna labantem atq; intestinis discordiis attritam vidistis, ita eandem in hoc brevi respirandi inter usurio læta revirescentem quiete felicissimi aspicere valeatis. Vive atq; salubriter diù rempubl. guberna Laudatissime Senatus, & exile hoc ingenii mei monumentum benignis oculis admitte.

Magnif. ac Nobil. Vest.

Devotissimus

Gulielmus Strasburg.

Ephorus

Ephorus

Illustris Collegii.

JOHANNES JOACHIMUS DE GRÜNTHALL, &c.

Omnibus Reipub. Literar. Tubing. Ordinibus:

S. P. D.

MILITIA ALIQUID DIVINI HABET. *Tuetur enim hominum justas Societates; & publicam salutem, quam malitia forte alicubi luxaverat, vel pepulerat, restituit, ac reducit fortiter; aut etiam adversus barbarorum insultus, & intercutes quoque hostes incolumem, salvamque præstat eandem. Quin etiam illa viros facit, & monstrat. Nam quoties factum, ut militiæ ignari ignaviam suam prodiderint pudendis factis, instar avium, quas inanis fundæ strepitus, aut crepitaculum territare, & sedibus excutere solet: Sed illi posteà Sacramento Militiæ obligati ita animos sumebant, ut contumacissima aggressi, Spartanis conferri meruerint, per tela, per ignes, per vulnera, et per ipsam mortem ad immortalitatem*

 pulcher-

pulcherrimè grassati. Cæterùm de gloria Militiæ dicet nobis & optimè & elegantissimè Strenuus, & Præstantissimus vir, verè MARTE & ARTE *magnus, Dominus* WILHELMUS STRASBURGIUS, *Ordinum ductor insignis, qui Athenæum Illustris Collegii luculentâ Oratione ad diem proximum Saturni, horâ matutinâ nonâ dignari statuit. Quod ipsum omnibus totius Reipubl. Literariæ Ordinibus hac chartâ significamus, simulque eosdem studiosè rogamus, ut dicto tempore frequentes convenire, & nobiscum fortissimum Oratorem audire, tantisque virtutibus debitam benevolentiam miscere velint. P. P. VIII. Decemb. Anno Christi M. DC. XXV.*

ORA-

ORATIO PRIMA, PRO GLORIA MILITARI.

ILluxit tandem fœlix illa dies, Au pi tores omnium Ordinum, & dignitatum honoratiſſimi, humaniſſimi, & undiquaque literatiſſimi: illuxit, inquam, felix illa & tot votis deſiderata dies, qua ſuſpenſa paululum armorum neceſſitate, Muſarum ſacrarium rurſus adire, & inter tot viros, eruditione eminentes, Majeſtatem literarum feliciſſimo poſtliminio adorare, mihi datum & conceſſum fuit. Quamvis enim literatæ virtuti multa debeam, quamvis eruditionis nomen à puero admiratus, & inter media arma, bellorumque diſcrimina ſanctiſſimam ejus memoriam æterna veneratione proſecutus ſim, nunquam tamen ſperavi, me ab animo meo ulterius impetraturum eſſe, ut poſt tot ac tam varia ſtudiorum meorum naufragia, poſt tot ſudores & pericula bellica, in hâc publicâ mundi calamitate, & inter ipſos ferè armorum ſtrepitus, in hoc vel alio Muſis ſacro loco publice loqui, publicè perorare auderem. Gratulor

itaq;

itaq; ipse felicitati meæ, tibiq; ò propitia fortuna, cujus ductu & auspiciis in honoratissimum hunc tot literatorum virorum conventũ prodii, immotas gratias ago, debitumque grati animi vectigal cũ usura & fœnore aliquando persolvam. Sufficiat nunc, si intelligas, me beneficia tua agnoscere, & de officio cogitaturum,

——————Cùm pax dilecta camœnas
Ambiet, & nullum turbabit secula ferrum.

Argumentum verò Orationis meæ non erit Didacticum. Vereor enim, si de Majestate literarum, de liberalium artium & scientiarum sublimitate, præstantiâ ac dignitate, vel denique de aliis docendi & discendi generibus, in hâc illustri literarum officinâ, coramque tot sapientissimis viris, militaris homo differere vellem, ne idem mihi quod Doctissimo olim Phormioni coram Hannibale, Pœnorum Duce, de officio Imperatoris bellici, omnique re militari copiosè peroranti accideret. De pace in hâc mundi discordiâ loquentem benignius fortasse audiretis: Sed quid de pace dicere possum, quæ publico ferè totius terrarũ orbis consensu proscripta est & exulat, econtrà civilia patriæ nostræ dissidia quasi consenescunt, & nondum ad beatam & tranquillam vesperã spectare videntur.

Turpe

Turpe quoq; dici posset, militarem virum hoc inquieto seculo · ubi sola armorum gloria & splendor, non absque invidia in universo ferè mundo triumphat, vanos de revocandâ pace sermones instituere, Itaque, quod nec indecorum, nec inconveniens officio meo erit, militare quidem argumentum tractare, & de militiâ armatâ nō togatâ, de Marte potiùs, quàm Arte verba facere decrevi. Non tamen acies instruere, non castra metari, non arces obsidere & expugnare, vel de aliis belli gerendi rationibus in hac tranquillâ Musarum Republicâ dicere animus est: Pro Gloriâ & virtute militari in Illustri hoc virtutis & sapientiæ Collegio modestius certare, & absque ullo literarū præjudicio militarem statum laudare, & pro virili commendare constitui. Date veniam Nobilissimæ Musarum animæ, si pro sagatis meis contra nōnullos militaris vitæ criticos & contemtores honestius locutus fuero, & pro singulari vestrâ humanitare & benevolentiâ, aures benignas ac faciles breviter dicenti exhibete.

Ergò dum hoc seculo omnia bellis fervent, & totus ferè mundus inquietus est, non alii quoque magis, in publicis & privatis circulis,

quàm de militibus sermones habentur & audiuntur. Sed pro diversitate affectuum & personarum varii quoque & valdè diversi. Quidam enim militiam derivant à malitiâ, quod in eâ omnis generis malitiosa exempla conspiciantur, ut etiam, qui fœliciter nati rectèque educati sint, in militiâ in improbos, degeneres, & malitiosos evadere soleant. Alii hodierna bella Latrocinia vocant, quæ sine lege, jure & modo exerceantur, & in quibus militi omnia desiderare, omnia rapere, omniaque vastare impunè liceat, ita etiam, ut delicta, quæ gentium jure legumq; authoritate capitalia sint, & mortem mereantur, tanquàm peccata venialia dissimulentur. Nonnulli castra nostra Lupanaria, scelerum & vitiorum confugia, castella nequitiæ, & asyla improbitatis indigitant, in quibus nova facinora, & omnia ignota antiquis seculis scelera liberè servire soleant. Quidam comparârunt hominum mendicabulis, quod in iis tot egeni, tot obærati, tot omnis fortunæ homines, meraque urbium purgamenta, & quicquid orbis insani habet, solâ inopiâ & desperatione adducti conspiciantur. Jam quasi scyllam libidinum, & charybdin voluptatum abominantur, quod milites vino & Venere ad

Dio-

Dionysia Martis inflammentur, & in castris ad omnem luxuriam intemperantiamque inescantur. Edere inquiunt, potare, ludere, genio indulgere, noctem scortis, diem blasphemiis & abominandis in DEUM contumeliis transigere, inter innocentes errores habetur. Et ut breviter dicam, ita miseros Martis alumnos per tot vitia suspectos fecerunt, ut si quis militem dixerit, omnia se dixisse vitia haud perfunctoriè existimet. Non possum mihi hoc locò temperare, quin insignem illam, & quam nondum expiavit Lucanus, contumeliam modestius vindicem, dum nescio, quo Poëseos genio, Poëta aliàs omnis ævi moderatissimus illusit:

Nulla (inquit) fides pietasq; viris, qui castra sequuntur:

Quasi verò plerique militum levis animi vitio in bella ferantur, naturam suam in mera scelera detorqueant, animumque soli iniquitati obligent: quasi verò inter tot millia præstantissimorum virorum non plurimi essent, apud quos cura juris, sanctitas, pietas, fides, honestas, & reliquæ summæ virtutes in æterna veneratione haberentur & æstimarentur. Verius meo judicio scribere potuisset:

Rara fides pietasq; viris, qui castra sequuntur:

Quod in tanta peccandi consuetudine, ingentis animi, magnique laboris sit, virtutem non adumbratam colere, animum à scelere cohibere, & cum ipsâ improbitate certare. Condonandum tamen aliquid est antiquæ Poëtarum libertati, quâ plerunque vel in laudando vel vituperando licentiosius extra veri limites exerrare consueverunt. Secutus Lucanum Hospitalius Galliæ quondam Cancellarius non impari elogio militiam nostram dehonestâvit, dum inter cætera:

Nemo unquàm bello melior fit: sive secunda
Sive mala infælix commiserit alite pugnam.
Bella docent homines peccare, metumq; Deorum
Excutiunt: pœnas, infernaq; tartara rident
Hi, quorum solis fiducia nititur armis.

Modestiores armorum censores vicem militum dolent, quod in merâ ignaviâ & vitiorum consortio, majorem & meliorem vitæ partem veluti fumum & somnium præterire sinant, & cum omnibus penè momentis sub ictu mortis stare cogantur, raro tamen se ad benè beatèque moriendum componant. Tyronum quoque conditionem deplorant, qui innocenti errore primum in militiam se conferant,

runt, veteranorum tamen vitiis ſtatim aſſueſcant, & præcipiti curſu à virtutibus ad ſcelera deflectant. Vitiorum enim ejuſmodi conditionem eſſe, ut etiam ſine Præceptore & Magiſtrò facillimè addiſcantur: econtrà virtutem domi partam, inter tot omnis fortunæ homines conſervare, magno cum periculo conjunctum eſſe.

Tot queremoniis, tot impotentibus calumniis ex compoſito illi, qui in perpetuâ pace & otio, ſine periculis & injuriis vixerunt, laudatiſſimam militiam, & juſtiſſima arma noſtra per contumeliam & jocos inſigniter eludunt, benignius ſanè judicaturi, ſi conſiderarent, communes mortalium res, vitâ & ſanguine militum conſervari, qui ſingulis ferè momentis caput diſcrimini objicere, pro ſalute patriæ & publicis commodis vitæ curam parvi facere, & extremum illud rerum humanarum, mortem ipſam, fortiter contemnere parati ſint. Sanos equidem ſinceri animi cenſores non recuſamus, nec importuno patrocinio vitia noſtra tuebimur. Cæterùm, tot graviſſimis criminationibus, tantaq; maledictorum immanitate glorioſiſſimum militaris vitæ ſtatum oppugnare, ignobilis invidiæ, meræq; impie-

 tatis

tatis esse, censemus. Et satius fuisset tot præstantissimos olim bello viros nunquàm militiæ nomen dedisse, nunquàm pro patriâ arma sumsisse, nunquàm inter tot strenua Martis opera tàm fortiter occubuisse, quàm cum tanto nominis & famæ dedecore. Sed valeant immoderati illi censores: valeant, inquam, & cogitent, si reliquos vitæ ordines non dico ita impugnare, sed saltem cum militari statu conferre & comparare voluerimus, immensum vitiorum catalogum, & non imparia delicta primâ statim fronte occurrere. Concedere enim coguntur, nullum vitæ statum vitiorum adeò expertē, adeò ab humanis improbitatibus immunem esse, qui non sæpiùs exorbitet, & sui seculi vitiis pareat & trahatur. *Nimis superbè dedignatur mortalitatem, qui peccâsse erubescit*: sunt verba Satyrici: Neminē enim mortalium natura, noverca nostra, tàm absolutum produxit, in quo non aliquid desideres. Nos vitia quædā nostra fideliter agnoscimus, & ingenuè confitemur, inter arma nonnunquàm silere leges, & multa interdum in militiâ contrà fas & æquum fieri, cùm impossibile sit, ut omniâ membra in tàm pinguissimo corpore semper sana & incorrupta esse possint. Unicum illud & notissimum

Mar-

Martis privilegium non immeritò detestamur, quod in hodiernam militiam & castra nostra, quæ potiùs casta esse debebant, tanta impudicarum fœminarum agmina proficiscantur, & miseris subditis plus interdum incommodi, plus damni & detrimenti, quàm milites ipsi, afferant. Quod si in majorum nostrorum historias respicimus, certum est, non concessum fuisse militibus ex antiquis legibus uxores ducere, multò minùs cum scortis & meretriculis istis vivere & cohabitare. In Romanorum castris in ingenti turpitudine fuit, si mulieres in militiâ conspectæ & deprehensæ fuissent:

Romanis utinam patuissent castra puellis:
Essem militiæ sarcina fida tuæ. **Canit illa apud Propertium.**

Imperatorum posteà indulgentiâ, & laxiore quodammodò disciplinâ militari, inaudito anteà exemplo se paulatim militibus in castris consociare cœperunt, donec Scipio Africanus, antequàm invictam illam Numantiam solo æquaret, duo millia scortorum ex Romanorum castris ejicere coactus fuit. Testatur quidem Livius, antiquis etiam temporibus contubernii jus militibus fuisse, & adducit quatuor

millia

millia hominum, qui nati in Hispaniis ex militibus Romanis, & mulieribus Hispanis, à senatu locum, ubi habitare possint, petierunt. Utut sit, experientiâ docemur, militum animos luxuriâ & consuetudine mulierum à robore & antiquâ virtute degenerare, emolliri, & plerunque effœminatos fieri. Sic Alexandri Magni militibus Babylonia plurimùm nocuit, militesque ac disciplinam militarem non leviter corrupit. Sic quoque Hannibali de nomine Punico aliquoties optimè merito, Campaniæ voluptates & deliciæ longè magis, quàm inviæ alpes, hostium exercitus & civium suorum simultates obfuerunt: Simul enim ac puellæ Capuanæ amore captus fuit, primùm visus est tergum Romanis hostibus suis avertere: ut haud vanè olim dictum fuerit: Una Hannibalem hyberna solverunt, & indomitum illum exercitum toties victorem, toties adversus omnia humana mala diu ac tàm fortiter durantem, enervârunt fomenta Campaniæ: nec inusitato proverbio, Capua Hannibali luctus Cannarum dicta fuerit. Inter res Friderici I. Imperatoris in Italia gestas hanc legem habemus:

Non erit in nostris nobiscum fœmina castris,

Qui

Qui reus extiterit, spoliis nudatus abibit
Turpiter, & naso mutilabitur illa resecto.

Continentiam Julius Cæsar in exercitu suo magni semper fecit, eamque non minùs, quam fortitudinem & animi magnitudinem à militibus suis desideravit. Et profectò lethale mulsum militibus sunt scorta, quisquis sapit, consuetudines eorum cane pejus & angue fugiat. Aurea Caii Grachi, ex Sardiniâ reducis verba sunt: Ita, inquit, in Provinciâ versatus sum, ut nemo possit verè dicere, assem aut plus in muneribus me accepisse, aut mea opera sumtum fecisse: Biennium in provincia fui, si ulla meretrix domum meam introivit, omnium nationum postremum nequissimumque existimatote. Sit itaque Scipio Africanus omnibus bonis militibus pro exemplo positus, qui capta Carthagine Allucio Celtiberorum Principi sponsam suam eximia forma, quam captivam habebat, intactam gratis restituit. Ratio tamen belli, militare hoc quod vocant nefas, ex parte excusare posset, si considerare voluerimus, mulieres istas castra à sordibus, milites ab immundicie purgare, sanis cibum præparare, ægrotis inservire, & sauciorum singularem curam habere posse. Neque verò his libidinum

instrumentis, nisi vilissimi militum delectantur, qui impetum pro ratione habent, stultisq; cupiditatibus suis imperare nesciunt. Melioris notæ milites, qui eximios animos dignis virtutibus excoluerunt, etiam in medio improborum consortio impuros & flagitiosos impetus despiciunt, damnatamque illam libidinem proscribunt & detestantur. Quod quidem admiratione dignissimum esse existimo, homines in magna vitæ licentiâ constitutos, nullo pœnarum metu, sed solâ benevivendi consuetudine, cum ingentibus vitiis certare, à rectâ conscientiâ ne latum quidem unguem discedere, & omnia, quæ ad regendum laudatæ & moderatæ vitæ cursum digna & necessaria existimantur, facere. Cæterùm, ut intempestivis illis conviciis ulterius occurratur, nec justissima imperia nostra, sine jure, lege, & modo exerceri, militesque impunè peccare dicantur, inquirant illi, quicunque sunt, quàm stricta belli jura, quàm rigidas parendi leges, & quàm severos militarium flagitiorum ultores constitutos habeamus, qui absque gratiâ, absq; veniâ, absque omni immunitatis spe, majore plerunque pœnâ, quàm culpâ improbitatem militarem coercent, levissimisque vitiis atrocia supplicia

plicia disciplinæ militaris authoritate imponunt, ut tot equos indomitos, tàm ferocem hominum multitudinem ad rectè faciendi necessitatem compellere possint. Experientiâ compertum est, difficile esse assiduè dimicantibus custodire morum probitatem & mensuram, eosque, qui in cæde & sanguine versantur, feroces & intractabiles esse, nec nisi attrocissimis sanguinem & mortem concernentibus, suppliciis coërceri, posse & debere. Hinc Manlius Torquatus victorem filium suum, quod saltem in jussu ejus dimicaverat, securi percuti jussit, longéque pluris fecit contemti imperii exemplum, quàm egregiam de provocante hoste victoriam. Nec minore severitate Papyrius Dictator Q. Fabium Magistrum equitum, quod contra ejus imperium exercitum eduxisset, nulla habita successus virtutum, & nobilitatis ratione, nisi à Populo Romano preces intervenissent, punire decreverat. Sic Simon Vignosius Ligur & Genuensis quondam classis præfectus, cum urbe Chio potitus esset, ingressum, in Civium prædia edicto prohibuit. Unicus filius paternâ indulgentiâ sese adversus edicti severitatem satis munitum ratus, cujusdam civis fundum ingressus, nonnullis uvæ racemis

cemis deportatis comprehensus, racemisque collo ad majorem ignominiæ notam suspensis, virgis cæsus, totaque urbe jussu parentis memorabili disciplinæ militaris exemplo circumductus fuit. Hanc ob rem Canestagius Albanum Ducem Lysibonæ mortuum, postquàm reliquas suas virtutes & dotes recensuit, ita laudat: severarum, inquit, legum militarium asper erat & inexorabilis executor. Multa tamen interdum nescientibus Imperatoribus fiunt, & magnæ molis laboriosissimæque virtutis est, res bellicas ad amussim posse dirigere, & tantam hominum multitudinem inquietam, discordem & turbidam ad debitum obedientiæ jugum redigere.

Supradicti errores, & si quæ prætereà maculæ & nævi venerandæ militiæ se intruserunt, omninò virtutibus bellicis condonari, neque ex paucorum, & haud dubiè vilissimorum militum vitâ tota militia æstimari debet. Multis enim urbibus, multis regnis salutaris fuit militum virtus, multi principatus, multaque Imperia bello & armis parta, quæsita & conservata fuerunt. Populus Romanus nunquàm dignas militibus gratias habuit, quorum virtute & fælicitate adeò crevit, ut multis Regibus, nationibus,

bus,& populis victis, principatus Italiæ, validissima gentium regna, totumque ferè terrarum orbem sibi subjecerit. Carthago quoque Romani Imperii æmula, virtute & sanguine militari à stirpe interiit, & maria ipsis terræque omnes patuerunt. Hinc gravissimis de causis, & ad demonstrandam gratitudinem suam, paucos honestiorum civium in senatum recepit, qui non decem annos militâssent, quorumque virtus non esset domi militiæque cognita, & qui non esset:

-------- *Pacisq; bonus belliq; minister.*

Judicaverunt enim sapientissimi Patres, viros multis militiæ laboribus defunctos, tandem ad rerum publicarum gubernacula utilissimos esse; eosque, qui in bello militibus imperâssent, pacis quoq; tempore publicas & privatas res felicissimè regere posse. Est profectò militia vastissimum pelagus exercendi animi, ingenii, & virtutum, tristissimique bellorum casus verè homines erudire possunt, in quibus tàm variæ ac tot infinitæ mutationes incidunt, & singulis ferè momentis fortuna se in diversissimas formas referre solet. Errata enim in bello neque gratiam, neque veniam merentur, nec Imperatoris Bellici unquàm fuit dicere, *non putâ-*

ram: Minima enim occaſio interdum totum exercitum ſervat vel peſſundat, & prudentis Ducis eſt omnes vincendi occaſiones ſummo ſtudio obſervare. Quàm graviſſimè & facillimè in bello errari poſſit, confirmat exemplum infeliciſſimi Varronis, qui pugnæ Cannenſis temeritate in tantum diſcrimen Romanos perduxit, ut de amittendâ urbe, & libertate cogitaverint. Econtrà fælix ille Cunctator virtute & prudentiâ militari furentem Hannibalem à pernicie Italiæ ſubmovit & reliquias deſperatæ Reipublicæ ſalutari mora conſervavit. Legimus Julium Cæſarem extremo vitæ tempore cunctantiorem ad dimicandum factum: & quò ſæpiùs viciſſet, hoc minùs experiendos fortunæ caſus exiſtimans. Virtutes porro militares aliarum etiam gentium annales loquũtur, & omnes ſucceſſus egregios, victorias, triumphos militibus ſummâ cum laude & admirationeacceptos referunt. Plenæ ſunt etiam hiſtoriæ, veterumque res geſtæ teſtantur, virtuti militari nihil arduum, nihil nimium, nihilque impervium unquàm fuiſſe, nec ullam ſtatum, ullum populum, ullamque Rempublicam ſine militari virtute florere, vel ad fatalem uſque periodum perennare potuiſſe. Au-

guſti

gusti Cæsaris tempore Romanum Imperium latissimè patuit: Tantus tamen Imperator tres Quintilii Vari Legiones Veteranos flebili voce desideravit, cùm appellaret non audientem: Quintili Vare redde legiones. Et quis hodiernum mundi statum gubernat? militia. Quis terrarum orbem componit & temperat? militia. Quis regna & principatus dat, quis rursus adimit? militia. Hâc duce & magistra semper constituta & conservata fuerunt regna, hâc denique neglectâ potentissim. quæque demolita. Hæc est ingens illa virtus, illa virtutum maxima, & reliquis omnibus præferenda, in cujus tutelâ & præsidio, patria, libertas, cives, ipsi denique reges latent, & sine quâ nullus Princeps se, sua, suosque tueri, ac defendere potuit: Non enim solum arando, sed & armando salus Reipublicæ acquiritur. Quid prosunt magnæ divitiæ, magnæ opes, ingentesque thesauri, sine strenuorum militum copiâ & virtute. Solâ enim pecuniâ bella non geruntur, nec ad conservandam potentiam & libertatem mera vota ac desideria nostra sufficiunt. Magna & ardua negotia magnis quoque & strenuis adjutoribus egent, qui ad omnia pericula intrepidi, nec tempore nec tædio vincantur, præcipuamq;

amque virtutis partem credant, malis & periculis non lassari. In humanâ hâc mortalis vitæ societate, nihil majus, nihil melius, nihil denique felicius esse potest, quàm tot fortissimorum virorum consortio & consuetudine frui, cum tot eximiis animo successibusque egregiis viris vivere, & honestè occumbere: Quis enim non admiretur, quis non magni faciat ingentes illas animas, inclytos illos bello viros, intrepidas illas ad pericula mentes, quæ sanctissima arma cum singulari virtute tractant, in conflictu & præliis sicut saxa & scopuli immobiles persistunt, in oculis Imperatoris sui strenuè rem agunt, certant, & pro aris & focis, vulnera & mortem sine dolore accipiunt, in vitâ fortes, & in ipsâ morte formidabiles. Poetas Martem adamantina tunica, ideò indutum finxisse nonnulli arbitrantur, ut ostenderent, milites immotæ mentis esse, non spe, non metu frangi, sed omnia adversa fortiter & invicto animo perferre solere. Et profectò animus militis contemtor mortis, constantiâ, robore, arteque militari imbutus, nihil formidat, nihil timet, nullis periculis, nullaque calamitatum magnitudine movetur, sed solæ virtuti suæ cōfidens, ad ultima & extrema discrimina subeunda

eunda

cunda paratus est. Scit, incolumitatē & decus eodem loco sita, honestamq; mortem totam vitam illustrare turpiq; vitâ longè potiorem esse; Ideoque laudatos olim bello viros imitatur, & per contemtum mortis ad summam gloriam, ad immortale nomen, & ad propitiam apud posteros famam ingenti conatu & virtute properat & contendit. Scit enim, magnos olim viros ideò pro patriâ arma sumsisse, ideò pro patriâ se ad mortem obtulisse, ideò in summis periculis tàm intrepidos fuisse, quia spe immortalitatis ducti, posteritatem ad se quoque pertinere judicaverunt.

Quis ergò vestrorum non misereatur ô commilitones, qui amore gloriæ, virtutis, & immortalitatis ducti, longinquis exiliis, variisque fatis exerciti, pro patriâ, libertate, religione & fide armâ sumsistis, ac contemtâ morte, cum paupertate, inopiâ, fame, siti, calore, frigore, vigiliisque concertâstis, utramque denique fortunam, sive prosperam, si adversam pari & ingenti animo tolerâstis: dignissimi profectò, quos veris attollam laudibus, si laus ulla esset, quæ virtutem & gloriam vestram satis dignè exprimere possit. Quid enim nisi eximium de vobis dicere possum, ô Heroës, ô numinum

curæ, & arcana naturæ deposita, in spem mundi nata, ò ingentes animæ, virturum hospites, miracula orbis, custodes Rerumpublicarum, ornamenta pacis, & præsidia belli: Ipsa vos jam innocentia laudat, nec invidia amplius calumniatur;

Nunquàm stygias fertur ad undas
Inclyta virtus, vivite fortes.

Sed revocare animum cogor, ne ut alii in vituperando, ita & ego in laudando milite nimis prodigus videri, dici & accusari possim: non enim aliter decebat, quam mei ordinis homines, ipsamque militiam parte jussa dignis verbis laudare, extollere & commendare. Neque verò quenquam vestrum esse arbitror, auditores, qui sibi persuadeat, me quicquam in præjudicium & contemtum literatæ virtutis, togatæque militiæ dixisse, vel dicere in animum induxisse. Nunquàm enim Musæ suavius habitant, nunquàm in majori honore habentur, quàm cùm in milites incidunt: nunquàm etiam arma diligentiùs tractantur, nunquàm magis æstimantur, quàm si cum togatis habitant. Certum enim est, non solùm armis, scientiaque belli, sed & consiliis artibusque pacis, regna & imperia

imperia constitui & conservari: Qui enim Respublicas administrare cupiunt, fortitudinem conjunctam cum prudentiâ habeant necesse est: Togata militia consilia suppeditat, armata verò ea fortiter exequitur. Ita literæ ab armis, & arma à literis societate mutuâ adjuvantur. Hæc sunt auditores literis inclyti, quæ pro simplicitate ingenii in præsentiarum dicere & proferre volui. Quod si fortassis spei & expectationi de me vestræ minimè uti confiteor satisfactum fuerit, provoco ad præsentem vitæ meæ statum, qui nullis literarum præsidiis suffultum, nulla eruditione instructum, nullisque ingenii viribus innixum, per tot annos in militiâ vivere, & à Musarum sacris, eruditorumque consortio exulare, & longiùs abesse voluit. Ætatem enim illam, quam Musis & literarum majestati consecrare cogitabam, in militiâ armorumque necessitate consumsi. Et nunc iterum ad armorum continuationem cum bono Deo propero, suavissimasque Musas, ac dilectissimos literarum alumnos feliciter vivere, æternumque valere ex animo voveo.

DIXI.

AD

WILHELMUM STRASBURGIUM,

Ordinum Ductorem,

Oratorem,

Poëtam,

& hinc, & isthinc, & illinc, Nobilem ac praclarissimum.

MArtia tot decora, & cor inexpugnabile pugnis
Summum ad Militiæ te decus ire jubet.
Nec minor ingenii vis est. Nam vidimus ipsi,
In te Virgilium cum Cicerone loqui.
Eloquar, an sileam? STRASBURGI es nobile secli
Monstrum, sed probris quod vitiisq́ caret.
Quippe aliis magnum est, imitari posse vel unum:
Ast junctim in te sunt MARS, CICERO *atq́* MARO.

Thomas Lansius.

ORA-

ORATIO SECUNDA,

PRO PACE AB EXI-lio revocanda.

QUod apud Romanos, prudentiſſimos rerum æſtimatores, ſtante adhuc Reipubl. libertate obſervatum accepimus Patres conſcripti, vóſque reliqui omnium ordinum ac dignitatum auditores primarii, honoratiſſimi & undiquaq́; literatiſſimi; Quod, inquam, priſcis temporibus in Republ. Romanâ obſervatum ac in more poſitum fuiſſe legimus, ut gubernatio Reipubl. decimo quoque anno publicè celebraretur, ac vota diis patriæ præſidibus pro ſalute ac incolumitate Reipub. Decennalia nuncuparentur: Illud ſanè antiquiſſimum inſtitutum hac terribili rerum facie, & hac anxiâ tranquillitatis publicæ annona imitari ac repetere, forſitan non adeò ſupervacaneum, nec inconveniens eſſe, diciq́ue poterit. Cum

rit. Cum enim à fatali illo, millesimo, sexcentesimo decimo octavo anno misera proh dolor! & lamentabilis Germaniæ Tragœdia, exordium suum sumserit, fractisque concordiæ repagulis, per decennium integrum continuata sit, æquum profecto ac necessarium erit, ut in gravissimo hoc discrimine ad DEUM immortalem confugiamus, ac pro moribunda Germania, pro salute atque incolumitate Reipub. nostræ, pro PACE denique atque Concordia exulante, vota precesque nuncupemus, vel potius unanimiter effundamus. Ad hoc ratio decennii nos quodammodo ducere & invitare videtur.

Quemadmodum enim numerus decennarius, est limes reliquorum numerorum & maximus numerus, ita æternum pacis numen, consummato hoc gravissimis bellis decennio, limitem ac terminum Bellonæ ac Marti constituat, armorum furorem sistat, ac mitioris fortunæ auspicio, pacem & tranquillitatem in Germaniam reducat, quo quietis & concordibus animis, DEO rursus servire, legibus parere, & concordiam atque pacem, ad extremum usque spiritum fovere possimus. Quod dum sine cujusquam præjudicio facere aggredior,

venia mihi primum danda erit, quod in oculis atque conspectu vestro gravissimo & inter tot literatissimos viros, quibus Pitzo os & linguam inauravit, quibus Pallas cerebrum, vitali Bibliotheca instruxit, & divinis ingenii dotibus exornavit, ego militaris quondam homo & ab omnibus eloquentiæ studiis valdè imparatus ad dicendum prodii: ac si quid crudum, si quid incoctum dixero, vel si ex agro jejuno ac sterili, poma Alcinoo aut floræ serta dedero, ut pro singulari vestra humanitate & benevolentia mingetis, auresque benignas ac faciles, breviter dicenti exhibeatis, ea qua par est, ac decet; observantia peto, atque contendo.

Unde vero exordiar? aut quid primum dicam, vel quid non dicam potius? Si miserabilem Germaniæ nostræ statum prima fronte intuemur, tanto is omnium calamitatum concursu, tantaque tristioris fortunæ acerbitate repletus est, ut ejus magnitudo vix verbis exprimi possit, neque mirum sit, si lachrymis lingua, mens dolore oppressa justo quasi conticescat. Scilicet ut in domo ruinosa, aut navi vetustate excisa, multum sordium aut tabuli colligitur, ita etiam in hac extrema mundi senecta, & in hisce Noe ac Lothi diebus innumerabiles calamita-

mitates, bella & discordiæ se produnt & conspiciuntur. Quocunque enim oculos nostros convertimus, nihil est ab omni calamitate immune, sed ubique ferè ita régnat Erynnis, ut in mutuam perniciem omnes prope gentes conspirasse videantur. Nullam verò mundi partem malum hoc tàm latè ac graviter occupavit, ac miseram Germaniam nostram, in qua per omnes fere angulos diffusum est, nullaque tanta calamitas diei aut excogitari potest, quæ non ab armis, armorumque pedissequis suscepta & effecta fuerit. Triste quidem dictu! Sed nullus unquam Austri furor adeò Oceanum turbavit, ut militum furor, & Civilis Enyo ærumnosam Germaniam per tot annos decoxit & laceravit. Nulla Scylla, nulla Charybdis tot unquam funera absorpsit, quantum civilis hæc discordia nobilissimi cruoris exhausit, eoque suam furiis consecravit immanitatem. Ipsa, proh dolor! experientia miseriæ nostræ testimonia, pro me, satis superque deponit: Ecquis enim est tam hospes in hac parente terra, aut in Germania adeo peregrinus, qui nesciat suavissimam patriam nostram per infinita miseriarum tormenta in tantam rerum omnium perturbationem redactam esse, ut extremum

propè

propè ſpiritum exhalaverit? Quid à frendente & luxuriante milite non ſuſceptum hactenus, quid non factum, tentatumque fuit? Quot nobiliſſimæ regiones everſæ? quot florentiſſimæ urbes deſolatæ? quot crudeliſſimæ cædes ac lanienæ perpetratæ fuerunt? Quid tam ſanctum, tam inviolabile, quod non contumaci ipſorum licentia, & per nova quædam peccandi jura, prophanum factum effectumque ſit? Antigono, Duci aliàs laudabili, in opere militari verſanti, quidam ex Philoſophis librum porrexit, quem magno ingenii conatu de Juſtitia ſcripſerat: Cui Antigonus: Deſipis, ait, Philoſophe, dum Juſtitiæ leges & præcepta offers hominibus quos armatos vides vexare depopulandas Urbes: Teſtatus nimirum, quod hodierna experientia loquitur: Plurimos militum in malitia adeò efferatos eſſe, ut nec jura divina, nec humana tueri, vel ulla Juſticiæ & honeſtatis præcepta admittere velint. Scilicet honeſte vivere, innocentes non lędere, ſuum amicis tribuere & relinquere, in hodierna militia rariſſimè obſervatur. Pace tua, omniq; remota invidia dicam Gradive, quod cum veritate conjunctum eſſe ſcio. Ab effero Marte ejuſq; pullis, nullo jure aut pudore æſtimato, turbata

religio, vulnerata justicia, mercimonia impedita, omnia malis exemplis repleta, & universa ferè Germania in confusionem & desolationem redacta fuit. In veteri historia Indorum mores commendantur, qui militiæ tempore, agricolas intactos relinquebant, ne quid mali paterentur homines innocentes, & qui suo labore reliquis victum compararent. Sed alia est hodierni belli ratio. Nostri enim miserrimi pagani, irrecuperabili damno intellexerunt multo verius esse, quod de sui temporis militia Horatius cecinit:

Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi.

Milites enim (haud mediocre rusticorum supplicium) ruptis disciplinæ frænis, pagos perertrare, segetes proterere, omnia diripere, spoliare, cistas purgare, fenestras collidere, cum fornacibus pugnare, & quod tristissimum bellorum nefas est, optimas quasque ædes, ex mero joco & lascivia Vulcano consecrâre consueverunt. Tantam militum licentiam secutus est atrox legum & disciplinæ contemtus, & quicquid in hominum vita scelerum & vitiorum esse potest. Tu qui omnia primus vides, alme sol, vidisti etiam intentatos innocentibus jugulis enses, & fratres in fratres, parentes in liberos, liberos de-

ros denique in parentum perniciem arma ſumere, & negato quoddammodo naturæ jure, vitam & ſalutem mutuam appetere. Quod Cæſar Prætor apud Saluſtium de belli calamitatibus enumerat: Rapi, ſcilicet, virgines, liberos divelli a complexu parentum, matresfamiliarum pati quæcumque militibus collibuiſſent, fana atque domos ſpoliari, incendia fieri, poſtremo armis, cadaveribus, cruore & luctu omnia compleri: hæc, inquam, & multo majora miſera Germania noſtra, & tot boni, proh dolor! Cives experti ſunt, & exempla ſingulis fere diebus obvia ſunt, aut certè fuerunt. Non audeo plura dicere, nec omnes miſerias & calamitates noſtras prolixius enumerare, quarũ moles major eſt, quam ut ullis verbis, ullaque ingenii & eloquentiæ felicitate, ſatis exprimi atque referri poſſit. Adhuc tamen pauciſſima quædam dicenda ſunt, quæ ſileri, aut tacitè cogitari non poſſunt. Res eò rediit, ut nec religionis ſanctitas, nec legum reverentia, nec judiciorum publicorum authoritas, nec magiſtratus poteſtas, integra amplius & ſalva ſit, ſed omnia ferè ludibrio habeantur, & ſacri ac prophani exiguum omninò diſcrimen appareat. Hæc eſt miſerabilis illa florentiſſimæ quondã,

ali verè quondam! Germaniæ noſtræ facies, hæc ingens illa metamorphoſis, hæ tot ac tam graves acceptæ clades, quarum obliviſci non tam eſt in poteſtate noſtra, quam meminiſſe, prout Themiſtocles fortiſſimus ille Dux dicere ſolebat, ſe artem oblivionis, quā memoriæ, malle, quia facilè miſeriarum meminiſſe, non autem obliviſci poſſet. Sed, ô tempora, nunquam expectata! Fuit Germania noſtra ante paucos adhuc annos, ad invidiam quaſi, fælix, florens & beata, ita, ut propter cuncta lætantia, agros conſitos, urbes frequentes, & bonarum artium pleniſſimas, vindemias agricolarum vota vincentes, & reliqua, quæ in pace laudamus bona, fortunatorum inſulis præferri potuerit: recedentis verò fortunæ ingenio, & per diuturna civilium bellorum certamina ita abſumta eſt, ut exigua dignitatis, patrimonii, ætatis, artium, officiorumq; diſcrimina magis appareant & conſpiciantur. O moribundam Germaniam, ô deficientem!

Quid igitur, verè Germanus, non condoleat? quis non commoveatur? & fidiſſimo affectu inclinantis patriæ noſtræ ruinam, tot regionum vaſtationes, tot miſerabiles ſummorum virorum caſus; tantas temporum varietates,

tes, tantamque fortunæ mutationem non deploret? O fortunæ, ſi quâ dominatur rebus humanis, crudelitatem! O fati, cui humana ſubjecta ſunt, aſperitatem! In quæ tempora periculorum & ærumnarum plena, reſervati ſumus? Ubi ſunt aurea noſtra ſecula? ferrea ſcilicet ſunt, & cruenta, vel ſi quid immanius. Tu Germania quę quondam regina nationum, Sydus Europæ, & omnium virtutum domicilium fuiſti, quæ juſtitiâ, pietate & concordiâ omnibus reliquis nationibus præluxiſti, tunc in quā, concurrentib⁹ armis adeo ad perniciem profligata es, & conquaſſata, ut antiquum robur & gloriam penitus amiſiſſe videaris? O Germaniam ab antiqua illa mutatam? Chalcondylas homo exterus, majoribus noſtris hoc teſtimonium præbuit; nullam ſe noviſſe gentem, cujus mores ſint honeſtiores quam Germanorum, qui, ſi eſſent concordes, eſſent etiam invicti: & profecto ita eſt. Non enim te, ô diſcors Germania, externi primûm hoſtes vaſtarunt, non aliena fraus diripuit, tuis ipſa viribus corruiſti, nec aliter Germanorum gens Martia potuit atteri quam mutua clade, quia non inventus fuit pari virtute hoſtis, niſi quem ipſa patria peperiſſet. Teſtantur hiſtorici, & annales loquuntur, Ger-

manorum arma olim universum ferè terrarũ orbem domuisse, eorumque nomen maximè formidabile fuisse. Germanos C. Caligula metuit; evitandos esse Orientis domitor Alexander Magnus voluit: Pyrrhus exhorruit: attingere ausus non fuit Cyrus Rex potentissimus: Neq; etiam Græcorum exercitus Germaniam calcavêre, non Romanorum Aquilæ debellavêre, sed ipsa Romanorum armis diu exercita, postquā vires suas nosse cœpit, ausa est de Romano Imperio ad se transferendo consilia agitare. Sed nunc, ô tempora, ô mores! Quò majorum nostrorum Nomen & virtus major & præclarior fuit, eò majori cum dolore & dedecore præsentem miseriam nostram, omnes boni aspicere & deplorare cogimur. Atq; utinam! Sed reprimo me. Quid enim præteritas calamitates, quas mutare non possumus, altius repetam, vel irrecuperabiles miserias nostras apud scientes longiore sermone prosequar? cum certissimum sit, ea quæ hactenus indulgentiâ Ducum, & audaciâ militum perpetrata fuerunt, nullum forum, nullam legem vindicare, & assidua hæc certamina, quæ tanto Germanos steterunt, non humanissimi populi vitio, sed adversantibus fatis exorta esse: Documentum morta-

mortalibus, nulli genti simpliciter fata indulgere, & raro cum virtute felicitatem misceri: Quin potius igitur inducias cum dolore facio & inter tot mala exclamo; O viri Germani, quousq; se extendent civilia hæc bella? &, quis tandem erit illorum finis? Quemadmodum ignorant in tempestate media nautæ, quis finis fluctibus, quis exitus vento: sicne & nos miseri calamitatum nostrarum finem non videbimus? Sed absit tam male consultum sit Germaniæ, ut non plurimis restet pacific9 animus. Scimus enim per civiles discordias, multa regna & principatus ad extremum interitum pervenisse, & nihil esse perniciosius Imperiis, quā tali morbo laborare. Nec opus est, comemorare multa exempla, cum vel sola Græcia, contentionis amantior, quam pacis, se illustre quidem sed horrendum exemplū præbeat. Quid verò Inclyta illa Roma clarius atq; admirabilius? tamen quò aliis gloria & dignitate eminentior, tantò per civiles discordias & intestinas clades ejus ruina & casus gravior & periculosior fuit utpote, quæ primum à Pensena obsessa, à Pyrrho territa, ab Annibale contusa, à Tatio capta, à Brenno expugnata, à Gallis incensa, tandem vero propriis viribus prostrata, adeoq;
fracta

fracta fuit, ut posteri Gothi & Vandali ad concutiendum & labefactandum nihil ferè haberent reliqui. Turcarum quoq; Imperatorem quid aliud in Hungariam primum pertraxit, quàm quod videret incolas illius regni intestino odio, & simultate inter se flagrare, & Carolum bello Gallico implicitum non posse Regi Ludovico auxilia suppeditare. Venit in mentem sæpius miserabilis, sed æterna memoria dignissimæ vocis Scipionis Africani, quam cum lachrymis protulit, viso Carthaginis incendio; Quam metuo, inquiens, ne eodem fato Respub. nostra concidat. Sic neminem adesse credo, qui calamitosum in vicinis regionibus statum considerans, non capiat communem dolorem cum afflictis, & ne eadē calamitas, rebus sic misere laborantibus, ad nos aliquando perveniat, vereatur. Quid moramur igitur? quid cunctamur? ò verè Germani: adeste, adeste, ad pium officium concurrite, & omnes bellorum reliquias è patriâ tollite, ut nobis vivis, & Germania quodammodo adhuc spirante, moriantur, & grandi injecto pondere, obruantur, æternumq; sepeliantur, ne Germania nostra post tot crudelia odia feralis, & omnibus gentibus ominosa imposterum esse possit. Hoc vovemus

vemus ex animo omnes & cum Poëta exclamamus:

---------------- ô pater, ô Rex
Jupiter, ut pereat poſitum rubigine telum.

Quod ſi cupido vitæ, pharmaca pellendis morbis invenit, quare & nos non excogitemus remedia, quibus illas Bellonæ Syrtes, Scyllas & Charybdes evadere, ſuperare, & abeuntem Germaniæ noſtræ animam revocare & ſuſtentare valeamus. Referunt Græcorum Hiſtoriæ illuſtre de Thraſibulo conſilium, qui Athenis civibus, bellis & diſſidiis inteſtinis miſerè afflictis inſtituit ἀμνηστίαν h. e. Injuriarum præteritarum oblivionem, quod conſilium tum temporis Græciæ fuit ſaluberrimum. Laudatiſſimus quoque Imperator Ferdinandus primus, poſt exhauſtos ad ſedandas Germaniæ turbas & religionis diſſidia, multos labores, cum irritatum armis potius, quàm curatum malum videret, ἀμνηστίαν omnibus conceſſit. O utinam in hac præſenti etiam rerum calamitate, fata adeò dilexerint Germaniam, ut ſecuta aureum hoc conſilium inconſideratam præteritorum temporum rationem ſepeliat, Civilia incendia extinguat, ad pacem propiori ſpe ac deſiderio adoret. Scimus quidem bella immortalia eſſe

nec posse nec debere: Scimus quoq; immoderatas miserias plerunque excipere tranquillitatem & lætitiam, ipsumq; tempus, quod omnibus rebus suum imponit finem, modum etiam afferre intolerabilibus calamitatibus. Sic hyemen frigore & gelu molestam, amœnum ver, læta æstas & frugifer autumnus excipit. Nautæ post adversæ tempestatis terrores optatam serenitatem experiuntur. Eâdem quoque vicissitudine, necessitas bellis pacem annectere voluit, ut quæ bellorum calamitate vastata, ac in nihilum redacta sunt, pacis ope & beneficio in integrum restituantur. Quamobrem sequestranda erunt consilia bellica, & sanctissimę pacis remedia revocanda: dicendum cum Poeta:

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

Satis sit, Nemesin per tot annos de Germania supplicium sumsisse; satis sit, tantum fraterni ac Nobilissimi sanguinis effusum esse: Valeat nunc mors Germaniæ, Mars, ille hominum occisor, populator agrorum, eversor urbium: valeatq; bellorum terribile nomen:

Econtra fœlix redeat concordia mundo.

Quis igitur dies tranquillos, noctesq; curarum expertes, cum Constantino non expetere, & cum Tullio nostro non exclamare cupiat? *O*

dulce nomen pacis, rem verò ipſam tùm jucundam tùm ſalutarem, qua non modo ij, quibus ſenſum natura dedit, ſed etiam tecta atq; agri lætari videntur. Et cum Lyco apud Senecam dicemus:

Si æterna ſemper odia mortales agant,
Nec cœptus unquam cedat exanimis furor,
Sed arma fœlix foveat, infœlix paret
Nihil relinquent bella: tum vaſtis ager
Squallebit arvis, ſubdita tectis face
Altus ſepultas obruet gentes cinis:
PACEM REDUCI VELLE VICTORI EXPEDIT,
VICTO NECESSE EST.

Quod ſi etiam ii, qui in magno mari periculis ac tempeſtatibus diu multumq; agitantur, nihil auſpicatius viſu habent, quàm cum gemellorum ſidus conſpiciunt: unde præſcii nautæ propinquæ ſerenitatis, ſpem augurari ſolent, ſperantq; fore, ut

------------venti ceſſent fremitusq; minacis
AEquoris, aufugiant nubes, urſaq; niteſcant.

Cur non & omnium noſtrorum mentes gratiſſima voluptate & læticiâ perfundantur, auditâ rurſus renaſcentis pacis ſpe, & felicitate, quæ ſola poſt tot clades & calamitates, fortunas & incolumitatem noſtram confirmare &

in solido collocare poterit. Optimus profecto quisq; confidit, prudentissimus quisq; præsagit, fore, ut degustata rursus quietis & otii dulcedine, perpetua sit futura Pax & Concordia in animis Germanorum. O felicem Germaniam, in tranquilla rursus pacis fœdera ituram! Quis verò tam expers humanitatis, quis tam projectæ salutis esse poterit, quem bella, discordiæq; civiles suâ sponte delectent? qui non malit in tranquillitatis portum appellere, quam perpetuis turbarum fluctibus inquietari? Qui ex Clitorio fonte bibunt, vini tædium ac nauseam sentire dicuntur: Sic simulatq; dulcedo sequestræ pacis ad sensus manare, & in animos nostros influere incipiet, æterna bellandi satietate capiemur. Et quemadmodū ii, qui ex gravibre morbo pristinæ sanitati restituti sunt, acriorem sensum habent recuperatæ valetudinis, ita & nos miseri, qui hactenus tot intestinis morbis tot gravissimis bellis & Calamitatibus exerciti sumus, majore cultu & gratitudine pacem, ejusq; beneficia agnoscemus & excipiemus. Marcus Agrippa, vir ingentis animi, dicere solebat; Se multum debere huic sententiæ; *Concordiâ res parvæ crescunt, discordia maxima dilabuntur*. Sed in nostra tempora quadrat illud Poëtæ;

Virtu-

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis, quærimus invidi.

Ita scilicet nobiscum comparatum est, ut quid in quaq; re boni sit carendo magis intelligamus, quam fruendo: Et hæc est præpostera mentis humanæ conditio, Pacem non amare cum licet, frui verò velle, cum non licet.

Quamobrem invocato prospero eventu, ad Te, ô Divina, ô Salutaris Pax, me converto, ad te, absterso omni Martio pulvere, sermonē meum dirigo, in te oratio mea exurgere atq; exultare festinat. Adsis igitur, ô gloriosa Pax, Lucifero & Hespero formosior, vocis quoq; & votorum meorum Pietatem exceptura; Et si quid calamitosorum vota possunt, ad totius Germaniæ solatium & ornamentum, redi, imò propera.

Universa enim Germania tot fatis, tot periculis exercita, te anhelat, te desiderat, ut medicinam afferas afflictissimæ Reipub, quæ bellorum gentilium calamitate tantum non eversa est. Omnes insuper boni, quorum opes sub pace & legibus creverunt, suas lachrymas, vota & suspiria consociare gaudent, ut te propitiam habere, & venerabile Nomen tuum, tuaq; ingentia erga humanum genus merita rursus

intueri & affari possint. Quid enim ad hominũ commoda tam exactum, quid ad publicam salutem tam undiquaq; utile esse? & quæ voluptas aut delectatio dici, & excogitari poterit, quam tu non afferas, quam tu non possideas? Quocunque oculos nostros convertimus, omnia utilia, omnia jucunda, omniaq; salutaria, te præsente & florente, conspicimus. Quo itaq; nomine te compellem; ô omnis suavitatis & dulcedinis promptuarium! ô unicum Germaniæ nostræ refrigerium, cum nomen tuum adeo rarum, adeoq; sacrum sit, ut vix terram sapiat, nullaq; eloquentia gloriæ tuæ par esse possit. Liceat itaque ad te sic cum Mantuano proclamare;

Pax hominum genetrix; Pax est custodia rerum,
Pax aperit juris, justiciæq; forum.
Pax urbes, Pax regna ligat, Pax congregat orbem,
Fiat ut & multis urbibus una domus.
Secula pax renovat, pax aurea tempora portat,
Et mores priscæ simplicitatis habet.

Et cum Silio:

-----------Pax optima rerum,
Quas homini novisse datum est, pax una triumphis
Innumeris potior.

Et pro-

Et profectò, quantum sanitas in corpore humano, tantum Pax est Reip. universæ. Pace vigente Respub. persistit incolumis: hac violatâ, omnia in pejus ruere, & retro sublapsa referri. Pacis gratia vici congesti, oppida exstructa, fœdera inita, & societates in humano genere coalitæ fuerunt. Fabulantur Poëtæ de pleno quodam Copiæ-cornu Amaltheæ, quo significare voluerunt, perfectum quendam felicitatis statum, quem animo quidem concipere, verbis verò exprimere non possint: Hæc plena rerum sufficientia Pace confertur. Pax enim nihil commune habet cum miseriâ, nihil cum paupertie, nihil cum inopiâ, sed ubicunq; copiam sui facit, dignitatis, honoris, divitiarum, supremæq; felicitatis comes, index est, ac testis. Ac proinde non immeritò comparatur cum utilissimis in vitâ humanâ rebus. Pax est similis aquæ; quia fœcundat: Similis lacti, quia incrementum dat: Similis vino, quia lætificat, & similis melli, quia purgat & conservat. Deus verò ter. Opt. Max. vix contulit in nos miseros mortales majora bona, quàm quæ sunt fructus Pacis, securitas scilicet, & ubertas. Quid enim jucundius, quàm licere quemque sub sua vite & ficu securum vivere & quiescere. *Mich. 4.*

Regi-

Regius Propheta David, volens exprimere felicissimum statum in rebus humanis, ait Psalmo 85. Justicia & Pax se osculabuntur. Id est, summa rerum erit tranquillitas, summa Pax in Republicâ, summus consensus omnium ordinum, summaque cura fraternæ dilectionis. Hinc inter numina pleraque quæ veteres habuêre, Romani Pacem & Concordiam eximiè coluerunt, honori ejus aras amplissimaque templa extruxerunt, intelligentes scilicet, salvas hominum res, sine hac, esse non posse: E-contra Bellonæ ac Martis ædem, non in urbe, sed quatuor ab ea miliaribus abesse voluerunt, ut à civium mentibus intestinas clades, ardoremq; belli avocaret, & domi quiete ac in beata concordia viverent. Pausanias refert, Pacis statuam Athenis ad speciem mulieris, Plutum, puerum, Divitiarum DEUM manutenentis, effictam fuisse: quâ significare voluerunt, divitias Pacis, non belli tempore, parari ac conservari: Claudianus verò fingit, Cererem noluisse Proserpinam filiam suam elocare Marti, qui eam deperibat, quod bella & milites, segetes maximè infestare, iisque nocere soleant: Non enim bello, sed ut Ovidius canit:

Pace

Pace Ceres læta est, & vos orate Coloni
Perpetuam Pacem, pacificumq; ducem.

Cum itaque tot fructus, tot beneficia pacis tempore contineantur, cum tot actiones honestæ imò & universa felicitatis humanæ bona, pace & concordia, quasi catenâ quâdam ligentur, & copulentur, quis Pacem non amare, & æstimare, quis non æternis cogitationibus pacem ſpirare anhelare, & deſiderare cupiat? Redi itaque, ô ſummum DEI bonum, alma Pax, per tot vota quæri & reperiri digna; redi, ô amœna tranquillitas, lux, cor & anima noſtra, redi vinculum charitatis: Redi, inquam, & propera, ut te præſente, omnia rurſus incrementum capiant; Colantur agri, vernent horti, prata rideant, ſint lætæ ſegetes, ædificentur villæ, extruantur oppida, creſcant opes, vigeant leges, valeat religio, floreat Respubl. erudiantur juvenes, & quieſcant ſenes. O revertere ſol noſter, & illuſtra rurſus Germaniam radiis tuæ bonitatis, auge & dita Remp. noſtram theſauro quietis & ſecuritatis tuæ, ut antiqui mores obſerventur, & diuturnum hoc bellum æternâ Pace & Concordiâ compenſetur. Sic incipiet aurei ſeculi gloria, & nos non niſi ad rectum aſpirabimus, ſine ſcelere & ſanguine

310

guine viventes, & quæ hodie in processu sunt vitia, tanquam in solitudine jacebunt, adoratura virtutes; quæ nunquam magis fulgent, quam cum Pacem & Concordiam comitantur. Salve deniq; ô oblivio curarum & dolorum, & post exilium auxilium tuum nobis præsta, ut læto omine exclamare possimus;

------------quo tandem nubila rerum
Et fœdi cessere dies?
Tutus bos etenim rura perambulat,
Nutrit rura Ceres, almaq; faustitas
Pacatum volitant per mare navitæ
Culpari metuit fides.

O diem illum exoriri! ô diem illum illucescere! quo abolitis, sepultisque armis; liceat videre felicem votorum desideriorumque nostrorum finem.

O tibi si nostras libeat Charissima rerum
Pax habitare domos, & nota revisere tecta
Post longa exilia & viduatas civibus urbes.
Jam satis exhaustum est pænarum sanguine nostro,
Jam rursus positis Pax aurea floreat armis.

Cæterum tanta, tamque ingens felicitas, & tot beata Pacis bona, non tam facile, nec humanis viribus aut consiliis, sed sola divini numinis indul-

dulgentia & favore comparari possunt. Quia enim honesti & à pietate non alieni animi, bella hæc manifesta iræ Divinæ indicia, & in omni hominum statu peccatorum nostrorum executiones esse statuunt,

----------& quia nos cunctantia fata
Ursimus, & cæcas peccando accendimus iras.

Quapropter oratione frequenti & verâ purgatæ in DEUM mentis conversione, opus est, ut æterna bene vivendi constantiâ, â vitiorum periculis, jam totius ferè Germaniæ exitio infamibus recedamus, mentemquè nostram ad sanam utilemquè virtutem redigamus.

Nisi enim vitam moresque nostros emendamus, curva corrigimus, veramque pietatem fovemus; nihil profectò obtinemus, imò, irati numinis ultionem & debita improbitati nostræ supplicia magis magisquè maturamus. In hac publica itaque mundi calamitate faciamus, quod regum quondam optimus monuit;

Nostra tuamq; fides solius orat opem.

Quemadmodum enim nautæ, quoties immanibus agitantur procellis, spretis marinis fluctibus &

bus & Oceano, Oculos in cœlum attollere, & astra intueri solent: Ita etiam æquum est, & necessarium in procelloso hoc adversitatum mari, inter tot terrores & pericula, ut spiritus noster se elevet, aversisque oculis ab iis rebus omnibus, quæ nos impugnant semper sursum aspiciat, illinc expectans auxilium, optatamque quietem.

Quod ut feliciter expediatur, ad Te, ô æternum Numen, ad te DEUM Pacis, non dissensionis, qui pacem & concordiam mortalium animis in generatâ ratione præscripsisti, preces & suspiria nostra convertimus, Tibi â Germanis nostris æternam laudem & gratiarum actionem offerimus, in quos affectu semper misericors & effectu beneficus extitisti, quos ita percellere voluisti, ut non omninò succumberent, ita percutere, resipiscerent: Etiam illi qui cœlum nullum putabant, de Tuâ providentiâ loquuntur, & sentiunt, ut par est, præclarè.

Quòd enim adhuc vivimus, quòd spiramus, & quòd Respub. hæc nostra, tam difficili tempore adhuc viget, quòd quodammodo spirat, quòd beata est & ab armis quiescit, non aliunde, nisi à Te est, qui nobis ejusmodi Magistratum dedisti, qui diligentem nostri curam

habet.

habet, qui perpetuò pro nobis invigilat, qui in eò totus eſt, ut placidam & tranquillam vitam agamus.

Hoc ingens bonum, Tibi, mitiſſime Pater, ex animo acceptum referimus, Teque æternis gratiarum obſequiis excolimus, quòd inter tot fortunę minas & ingruentia undique pericula, ſolâ ope & auxilio Tuo, Religio apud nos nondum adhuc turbata floret, Reſpub. viget, in foro, Judiciis, & Curiis, alma Juſticia regnat, vita denique omnium publica & privata, quietè & placidè, ſub optimo Magiſtratu tranſigitur. O ſumme rerum arbiter, qui per Moyſen ſignificaſti (*Levit. 26.*) Dabo pacem in finibus veſtris, dormietis & non erit, qui exterreat: O pro ineffabili miſericordiâ tuâ res noſtras inpoſterùm aſpice, cogita ſuper nos cogitationes pacis & non afflictionis; Da nobis civilium miſeriarum, quas noſtra per tot annos vidit ætas, finem. Exuſcita divinitus Invictiſſimum Imperatorem noſtrum, qui Tuam in terris imaginem refert, & numinis Divini vices ſuſtinet, ut Cæſarea ipſius Majeſtas ad conſiderationem afflicti ſtatus publici & inclinationem pacis, conſilia ſua dirigat & convertat, ac non ſolùm Trajani Imperatoris optimi, moderationem

(qui bellicis quidem laudibus innutritus, Pacem tamen summoperè amavit) sed etiam Tiberii exemplum, gloriosissime imitetur, qui lætior fuisse dicitur, si Pacem sapientiâ firmaverit, quàm si bellum per acies confecisset.

Concede Halcyonios dies, & Pacē tam diû exulem, à cunctis desideratam, ab omnibus ferè desperatam, potenter restitue: apertam vim, intestina bella & ultima consilia, â Patriâ, â Repub. & à nobis omnibus & singulis clementer averte. Tu benignissime Pater, spirantes sanguinem civilem animos lenire, & dissidentes inter se arctissimo concordiæ vinculo coadunare potes. Atque, ut tandem hos dissertationis meæ carceres claudā, quemadmodum Anno. 1618. miserabilis hæc Tragœdia initium sumsit, & per tot annos hactenus agitata fuit, ita, ò Pater, ultimæ huic Scenæ, ultimam adde manum, ut sepeliantur civilia bella, sistatur armorum furor, & loco Martis, Pax augusta, per omnes Imperii Romani angulos, inoffensos agat cursus, feliciterque triumphet. Sic ex desperatione ad spem, ex tenebris ad lucem, ex fluctibus atque procellis ad tranquillitatem revocabimur, ac domi forisquè erimus fortunati, nihil publicè, nihil privatim metuentes,

entes, & fruemur usurâ felicioris status: tandemque in placidæ ac bonæ spei portu anchoras nostras figemus, nunquam magis agitaturi tempestatibus civilium discordiarum. Hoc sanctissimum votum mihi commune est cum vobis omnibus,

O M. --- Tu vota pater felicibus auge,
Auspiciis;

Et effice, ut Germania nostra æternùm sit salva, sit florens, sit incolumis, omnia bellorum, omnia malorum, omniaque dissidiorum genera, quàm longissimè depellantur ac profligentur, quò omnes Imperii Romani Reique publicæ nostræ Cives & incolæ, in omnium rerum affluentiâ, copiâ & abundantiâ, in verò gaudiô & felicitate, in obsequiô & concordiâ in summâ altissimâque pace vivere, & perennare possint, quam diutissimè.

D I X I.

Viro

VIRO
& literis & armis
Clarissimo
Dn. GUILIELMO
STRASBURGIO, &c.

HOC *anno* C*essent* C*hr*I*ste ô be*LL*a aspera bella*
Et re D*eat*, VI*geat*, *pa*X *re* DIVIV*a pre*C*or.*

Ch. Girsner.

ALIUD.

PUlcrum est profecto, quispiam
Vel LITERIS, vel ARMIS
Si clarus audiat; & quidem,
Jure optimo, invidendam
Uterq;-talis gloriam
Meretur, atq; Laurum
STRASBURGI, amice candide,
Qui MARTE & ARTE polles;
Et, quòd VIRAGO DÆDALA
Simul ARMA LITERASQ;

Simul

Horrere discupiat doces,
Exemplar ipse clarum,
Quid laudis hinc merebere,
Aut quos ages triumphos?
Ut PALLAS, omnes & boni,
Te prosequantur amplis
Favore, honore, & munere,
Queis dignus es; reapse
Quin factitare id jam vides
Illos: & hoc videbis,
(Quod majus est) ipsos DEOS
Omnes tibi favere.
Quod restat, ex animi tui
Voto, diu superstes,
Vivas, precamur singuli!
Tui ingeniique partûs
Prodire sæpius sinas,
Optamus! EIA; FIAT!

Test. adfect. ergo. l. m. q. deproperab.

C. Hœflichius.

ALIUD.

Nos bone Christe sinas, qui pax es, vivere pace,
Belligeri & tetricum subrue Martis opus.

Res bo-

( )

Res bonā pax, ſævum, res eſt triſtiſſima, bellum,
Da pacem, ne nos bella cruenta vorent.
Pacem Conſerva, tranquillam poſcimus omnes,
Nos pacem, exaudi ſumme Jehova preces.

amicitiæ ergò Fec.

H. Ammon.

ANNO

A DoMI*no* V*en*IV*nt* *Pa*X *&* VIC*tor*I*a Terræ.*

ALIUD.

DE pace & bello STRASBURGIUS ore diſerto
Diſſerit: & benè; nam vir in utroque valet.
Pace valet linguâ, valet in certamine dextrâ,
Illius hinc famam fama loquetur anus.

Thomas Cleuſelius
Ratiſp.